[illegible] ...k
[illegible] ...nis
1745 10 mens. Aprilis.

Dobrakowski Stanisl. Kostka: Hymettus dextera Palladis Jagellonicae flores varii generis in coronamentum eruditae virtutis V. Vv. DD. primae laureae Candidatis explicans.

Poenza 2912.

# HYMETTUS
## Dexterâ Palladis Jagellonicæ
Flores varii Generis
In Coronamentum Eruditæ Virtutis
V. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatis
# EXPLICANS.
*Et dùm*
In Alma Universitate Cracoviensi,
*PER*
*Illustrem, Clarissimum & Admodùm Reverendum Dominum,*
## M. CASIMIRUM STĘPLOWSKI,
Philosophiæ DOCTOREM, Ejusdemq; Regium ac Cursûs Vladislaviani PROFESSOREM, Collegam Majorem, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI Clepardiæ PRIMICERIUM, S. ANNÆ ARCHIDIACONUM, Parochialis Ilcussiensis PRÆPOSITUM, ac interea Facultatis Philosophicæ DECANUM.
Præsente Magnorum Hospitum Coronâ
AA. LL. & Philosophiæ Baccalaurei
Ritu solenni crearentur.
*à*
## V. STANISLAO KOSTKA DOBRAKOWSKI,
Ejusdem Laureæ Candidato,
Metricô Calamô
# DEMONSTRATUS.
*Annô Domini 1745. Die 10. Mensis Aprilis.*

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

# IN ARMA
ILLUSTRISSIMÆ AC EXCELLENTISSIMÆ
# DOMUS.



I.

Sunt AQUILÆ Volucrum Dominæ Jovis atq; Ministræ
Lumina clara vident, Culmina summa tenent.
ACCIPITER pennis AQUILAS comitatur alacris,
Est utrisq; favens victima pulcher Honos.

II.

In SOLEA magnis vestigia certa triumphis
Ecce patent, forti, CRUX benedicit iter
Fontibus auriferis despumant FLUMINA, Crede!
Aurea Sarmaticæ messis honoris erit.

III.

Heróum stat EQUUS gestis cursuq; decorus;
Gestans erecto clara trophæa pede;
Plurima constanter Martis post bella triumphat,
Terminus est illi celsus Honoris Apex.



IV.

PEGASUS è Petra fontes excussit euntes,
Flammas elicuit; nomen ad astra tulit.
Consilio, Virtute STAROKON nectar adauget
Sarmatiæ, Meritis Nomen ad alta vehit.

*Perillustribus ac Magnificis Dominis*

# DD. FRANCISCO IOSEPHO; IGNATIO;

*Illustrissimi & Excellentissimi Domini,*

# D. CAROLI GONZAGÆ

Comitis in Zywiec & Pieskowa Skálâ,

*DE*

# WIELOPOLSCIIS

MARCHIONIS in Mirow & Pinczow

# MYSZKOWSKI,

Supremi Stabuli Regni Præfecti, Generalis Minoris Poloniæ, Cracoviensis CAPITANEI.

## Magnæ Spei FILIIS.

DOMINIS MECÆNATIBUS ET PROTECTORIBUS. MUNIFICENTISSIMIS.



*SUbtilissimo Xenophontum ingeniô; aut nectarea Tulliorum opus est facundiâ: ut Excellentissima Nominis Vestri Authoritas, & ILLUSTRISSIMÆ DOMUS magnificentia, non tantùm Sarmatico Orbi: sed toti clarè & condignè deprædicetur Universo PERILLUSTRES MAGNIFICI DOMINI, DD. MECÆNATES FAVENTISSIMI. Conabantur summoperè præterlabentium myriades annorum, imò diu anteacta laboravere secula, ut*

*Inclytissimæ* Domûs Vestræ *cum dignitate Majestatem, cum meritis Probitatem, cum probitate auro cedroq; notandas posteritati enumerarent qualitates, vix tamen easdem attingere potuerunt. Heroicæ Dexteritatis* Illustrissima Vestrum Prosapia *plenissima est, Gallicano Herculi illustrior; potenti Cyro gloriosior, Epaminonda triumphis adornato clarior, viribus pollenti Annibale robustior, adoratoribus potiùs non Oratoribus indiget ad dicendum. Inclaruit* Domus Vestrûm Illustrissima; *non tantùm Polonis eximia Virtute Regionibus, at etiam exteris fortitudine Gentibus, velùt auricomus Princeps luminarium Titan inclaruit; dilectissimæ splendorem Patriæ, Regiis amorem Thronis afferendo, præstando. Originem* Domûs Vestræ *ad enarrandum ingeniosissimis relinquo Demosthenibus, mihi eandem ùt admirari & venerari liceat; permittite MECÆNATES ILLUSTRISSIMI. Hymettum perpetuò florentem gratiosissimâ Nominibus Vestris ad recreandam mentem acceptetis Fronte, eundemq; conspectui Vestro &* Domui Illustrissimæ *præsentari; non renuite. Illuxit Orbi Sarmatico fortunatissimis DOMUS VESTRA auspiciis, unà cum Lecho in* STARZYIS; *quam fulgidissima* TOPOREORUM *Ascia in celsa honorum traxit fastigia, tritamq; ad cujuslibet Culmen eminentiæ Appiam, demonstravit. Decus & fulcimentum DOMUS Hæc cum TOPOREIS dominanti extitit* Visimiro, *& tantùm optimis floruerat gestis, quantùm distincta per Zodiacum luminis in se comprehendunt sydera. Eminuit tandem Bonis Avibus sub* BOLESLAO CRIVOUSTO *triumphantibus TOPOREORUM meritis, quæ Othomanicam ita perculere Phœben, ùt tristissimum multoties visa est pati & sufferre deliquium. Exornabatur indies majori decore DOMUS Illustrissima, creverat longè elegantiùs quàm Semiramidis pensilia in æthere vireta, & pulchriùs Virtute enituit, quàm odorem diffundentes Alcinoi flores. Creverat immortali Probitate Lechico in delicium Orbi, Exoticis in admirationem Oris, Fidei Orthodoxæ creverat in tutelam. Steterat attonita Regnorum multitudo, mirabantur numerosa Provinciarum cohors, Virtutis ac meritorum velut à supereminenti Olympo exorientem intuendo splendorem. Requieverûnt Hac in DOMO velut in Regia; Principum Mytræ, Ducum Clavæ, Senatorum Curules, Cruces Pontificum, Sigilla, aliaq; Honorum insignia, certam sibi designavere consistentiam. Hanc in* Domum, *Monarcharum Galliæ Majestas, Serenissima Portugaliæ & Angliæ Solia, Principum Neoburgi & Bavariæ refulgentes Tyaræ, affinitatis arborem ex alieno transferre solo delicias*

*habuerunt*

*habuerunt, & ornamentum. Dedecorum foret meritis ...* *insignem alto* ZEGOTAM *praterire silentio, Quem ita Clarissimum triumphis publica divulgavit & divulgat Exteris fama Heroem, ut totus adusq; dulci Mundus susurro, gloriosa* ZEGOTÆ *revocet in memoriam gesta. Noverant alieno morantem sub Dio numerosa Gradivi & Bellonæ legiones* ZEGOTAM, *ita strenuè in Martiali pro Thronis decertantem acie, ut par Ephestionibus* ZEGOTÆ *dexteritas; varijs claré innotesceret Clymatibus Mundi. Rem expressiùs nè sub cortina lateat edisseram! Claruerat olim nobilissimus Ternio Fratrum; praecelso virtutum decore; ab hoc fortissimus* ZEGOTA *majoris industriæ & experientiæ causâ longinquas recessit in oras; indè Herculea repletus probitate, Paterna rediit in limina, & non tam Bonorum quàm Fraterni affectus se manifestavit esse Possessorem. Increbrescente de* ZEGOTÆ *adventu insperato fama, luculentiùs* SEDZIVOGIUS *cum* NOVAGIO *par nobile Fratrum sciscitando reditum novi ex Germania Hospitis; planè non agniti, eundem à fraterno Consangvinitatis nexu removet, immò non Germanum à Germania venientem abnegativè concludit. Protunc non cognitus veris à Fratribus* ZEGOTA *pro Umbone in Armis* SONIPEDEM *statuit, dein Nomine mutato pronuntiatur* ZAPRZANIEC. *Hic; modus admirationis non abnegationis fuerat. Confirmavit binio Fratrum per abnegationem* ZEGOTAM *verissima à purpureo* Domûs *Rubicone non ducere lineamenta, sed evidenter derivare. Ordinatio Superûm non negatio Fraterna effecit,* ZEGOTAM; *in* ZAPRZANIECCIUM *permutari. Diffuderat svaviùs quàm floriger Libanus Virtute & Meritis odorem* ZAPRZANIECCIUS, *à quo innumeris celebranda encomiis per metamorphosim seu transformatam vocem* SZAFRANIECCIORUM *Prosapia fuerat orta. Complacuit Serenissimo Poloniarum Regi* CASIMIRO ZAPRZANIECCIORUM SONIPES. *adeôs ùt eodem Regalibus Sceptris & Diademati in Solium vehi; delicium esset. Elegit* ZEGOTAM ZAPRZANIECCIUM *Regnans Potentissimus; Cracoviensis Succamerarium Palatinatûs, perbellè conijciens non posse firmiùs Lechicos passu Geometrico mensurari, propugnari, & custodiri limites, quàm Generosissimo* ZAPRZANIECCIORUM SONIPEDE. *Procùl hinc Massagetarum lacti immixtum à venis* SONIPEDUM *extractum; alacriter sangvinem potantium consvetudo! Avitus* ZAPRZANIECCI-

 NIECCI-

NIECCIORUM SONIPES nectar consiliorum Patriæ contulit, Regum & Regnorum Defensor persistendo. Animal comes bonum est, dolo carens, protegit non conterit Regna, conculcat Soleâ sed non nisi rebelles Scytharum cervices. Alimentum Ejus Virtus est, ornamentum dexteritas, terminus; vigiles pro dulci Patriæ Solo excubiæ. Non hic ostentet Diomedes Sonipedum genus; SONIPES SZAFRANIECCIVS sustentat Patriæ Cives non absumit, præsidium præstat non offensam. Demonstrat Gentilitius Domus Æstimatissimæ SONIPES PETRVM, Honorificentissimi Parentis Succamerarii Filium ZAPRZANIECCIUM Castellanum Sandecensem, meritis erga Rempublicam inclytissimum: genuina Martis & Gradivi Progenies PETRUS, Prudentiâ consolidavit Lechiam, Generositate nutrivit, liberalitate & dotavit & ditavit. Planè quidquid egerat PETRUS, hoc totum ùt felicissima Regni perennaverat & perennat basis. Gratiam non reticeo JOANNEM dilectissimum PETRI Filium, post Senatoriam Parentis dignitatem, eadem Castellanatûs Sandecensis Purpurâ resplendentem. Verè gratia Poli, Polonis allata Regionibus florentissimus animo JOANNES, hunc Berecynthia Deorum Parens scientifico aluit lacte, linguæ mellis favum instillârunt Charites, comitate Lucina exornavit, innocentia vitæ insignivit Pandora. Columna Reipublicæ adamantina JOANNES, Regum Ocellus, ita lucidissimos longè lateq; protenderat Sapientiæ radios, ùt quotquot verba pro Patria perorando protulerit, cuncta jubare clariùs illuxere; quidquid proposuit, Delphici Oraculo Tripodis veriùs enituit Pericle JOANNES animosior, lilia & rosas Sarmaticis dulci eloquio explicuit Oris. Manifestiùs adhuc dicere intendo, JOANNES benemeritis Hector; dotibus animi Scipio, clementia erga populum, laudatissimus à nomine carissimo agnoscebatur Gratianus. PETRUM denuò SZAFRANIECCIUM pronissima veneror mente. Atlas Sarmatiæ PETRUS negotiis Patriæ inexantlato succurrens labore, ita contrariis Regiæ Majestati frontibus, eximius apparuit Victor, ùt audita PETRI excellentiâ, efferatam & effrenatam non tantùm relinquere, sed penitùs abnegare cogebantur licentiam. Univit Hic felici ori modô quàm belligerantes Æmilii, discordes Civium animos, insignia pacis intra Lechicos erexit fines; noxium compescuit litigium, & victricem in Sarmatiæ Campo fecit revirescere Laurum. Non prætermisit absq; justa compensatione LUDOVICUS Poloniarum

& Hungariæ

& Hungariæ Regnator probitatem PETRI, Arcem [illegible]
Pieſkowa Skáłá obtulerat PETRO traditur PETRO: Petra, ſiv
Skáłá; illicò conijciendum eſt, quia PETRUS immotum contra inſurgentes Patriæ inſultus, dicendus erat fundamentum. Indè Comitatûs in Pieſkowa Skáłá SZAFRANIECCII; JOANNES Supremus Regni Cancellarius, Epiſcopus Vladislavienſis; & PETRUS Palatinus Cracovienſis Gubernator Podoliæ, Supremus Dux Exercituum laudabiliſſimam originem trahunt. Florentiſſimus Binio Fratrum, Primus ſigillo Cancellarii non obſignavit, ſed reſervavit ſibi Dynaſtarum affectus, annuloq́ veriorem ſe & fideliſſimum Patriæ Achatem exiſtere, præſentavit. Verbo, JOANNES nectareâ linguæ ambroſiâ, ita Satraparum devicit animos; ùt nihil ex optimo JOANNE videri legiq́ poterat, niſi puriſſimus cordis prudentiſſimi Candor; & ſinceritatis erga Polonum Orbem Floralia. Vicit PETRUS Jadivingarum ad Tucholam phalanges, non magis tamen de hoſtibus; quam de affectibus Principum triumphavit. Cruenta hoc in certamine inſignitus victoriæ pompâ STARZYKONIORUM SONIPES; magnæ virtutis dederat documenta, & docuit quod Illuſtriſſima SZAFRANIECCIORUM Propago, non fulvo vel purpureo characterum colore exprimi, ſed laminâ auri promeruit celebrari. Solis nonniſi Pantheon Janis ſolenni cum plauſu finita poſt prælia aperiebatur Heroibus, bellis invicto STAROKONIORUM SONIPEDI; etiam Divorum in maximi vim applauſus recludebantur Ædes. Præclariſſima SZAFRANIECCIORUM acta, coronatæ Regum VLADISLAI, Jagelonis, Auguſti STEPHANI Bathoræi fronti; quinimo animo & animæ complacuerunt ſummoperè, ſub quibus non Territorium tantùm; at etiam excelſa dignitatis Senatoriæ obtinuere faſtigia. Modicum eſt, quod digniſſimæ SZAFRANIECCIORUM adſcribitur Proſapiæ! Obmuteſcit lingva, ſcriptoriæ atteruntur pennæ, animusq́ hæret attonitus, condigna lectiſsimæ SZAFRANIECCIORUM Proſapiæ encomia publicare meditando. Arpinatici Opus eſſe cenſeo ingenii SZAFRANIECCIANÆ Domûs & Genealogiæ, ſi non ſufficienter præintelligere, ſaltim humiliter recolere Celſitudinem. Jam tandem poſt reviſa SZAFRANIECCIORUM Geſta, frugiferi Domûs WIELOPOLSCIANÆ Campi, ſe ad venerationem offerunt animo. Campeſtrium Dea Ceres fructuum non tantàm frumentorum collegerat copiam,

LOPOLSCIANÆ Campis sub Regio Jagellonis Manipulo ad solatium Patriæ in summis Heroibus germinavit incrementum. Veneror non enuntio BOCHNEROS Castellanos Becenses NOVAGIOS Succamerarios Cracovienses, NICOLAOS NOVAGIOS Bonorum Wielopole Possessores, à quibus WIELOPOLSCIANUM Nomen producit Exordium. Deprædicat Bellona & Mars JOANNEM ex GASPARO WIELOPOLSCIUM, priùs Siradiensem, dein Cracoviensem Palatinum. Domuit Antenore magnificentior JOANNES Sveticum Leonem, ferocem Moschoviæ atrrivit feram, & insolentes Cosacorum vi bellicosa turbas delevit, debellavit. Ministra Jovis Aquila dicitur, JOANNES Aquilæ Sarmaticæ Proles, imò Aquila, ignem Lechicæ Majestatis subministravit Jovi, ad superanda Orthodoxæ contraria Fidei portenta, & ad prosternendos contra Patriam insurgentes arma porrexerat Encelados. Nullū in limitibus Patriæ heræsiarcham passus est JOANNES, nullam vitiorum admisit diu vivere Hydram, sed quid Astræa svaserat, hoc in rectitudinem & ordinem bonum redigere, omninò conabatur JOANNES. Imminet secundus re & nomine secundus, optimus Patris optimi Filius JOANNES Comes in Zywiec & Pieſkowa Skała Supremus Regni Cancellarius Proavus Vester MECÆNATES Faventissimi. Adhæserat quondam cordi Macedonis Ephestion, Superum favor JOANNES, Invictissimo JOANNI III. Poloniarum Regi, Othomanicæ laureato Victori Lunæ; Benefactis & probitate immortali, ità acceptatissimus perstiterat, ut Regio Umboni in sinu JOANNIS recumbere, unum fuerat, velut in Throno. Videndus erat JOANNES, quanto erga Majestatem, & Serenissimam æstuavit Rempublicam amore, quæcunq dixit, fecit & scripsit, in commodum Patriæ abiêre. Os Regium JOANNES; adversùs Regalia consurgentes Sceptra; florentissimo sermone multotiès coercuit hostes, & quos bonitate non subjugavit adversarios, eosdem authoritate & Nominis magnificentia superavit. Functus Legatione pro Domo Patriæ eloquentissimus Cyneas ad LUDOVICUM XIV. Galliarum Regem; pro tunc elegantiùs Gallici fragrabant Lilia Regni; postquàm aurei oris Orator JOANNES, admirabili svadâ Zephyros inchoaverit spirare; & Ethesias. Tullius alter ad Veneticam Missus Rempublicam; pro Bono Polonorum ibi disertissimè peroraverat Statuum, & cultissima lingvæ loquela, tantùm effecerat; quantùm in Senatu Cicero facundissimus. Annalibus porrò opus est non pennâ, ùt planiùs meri-

*piùs Merita probiſsimi explicantur* J*O*AN*NIS*. *Compenſavit pondus dierum & æſtus pro Lechia ſuſceptos Cælum, tribus* LUDOVICO, JOANNI & FRANCISCO *Filiis, in Illis Patris Honorem, Decus & Ornamentum conſervando. Regni Pincerna LUDOVICUS Capitaneus Cracovienſis, terreſtri ex circumferentia ad refocillandũ nectare Cæleſti Spiritũ, temporalem concludens vitam, ſupremas feſtinavit ad Ædes. JOANNES Lechiæ fulcimentum, multoties in Comitiis Regni Nuntius, indeſinenti circa Patriæ commodum verior Conſus labore fretus; unicum in ſolamen Reipublicæ ALEXANDRUM Filium, Capitaneum Opocznenſem relinquens, magno Parentelæ cum ſingultu inter ſepulchralia Eccleſiæ* Pieſkowa Skáłá *requievit marmora. Adhuc non deſinit animus licet poſt funebralem JOANNIS dolorem, emeritiſsimæ* Domus WIELOPOLSCIANÆ *Magnitudinem contemplari. Subjungunt piiſsimi Manes,* Illuſtriſſimi *olim &* Excellentiſſimi Domini *FRANCISCI Comitis, in* Zywiec & Pieſkowa Skáłá *WIELOPOLSKI Cracovienſis Palatini, Minoris Poloniæ Generalis,* Avi Veſtrum Digniſſimi, Mecænates Gratioſiſſimi; *dicendi materiem, modumq́ ulteriori encomiorum tractui ſubminiſtrant. Senator Hic Pater Patriæ dicendus erat, prudentiâ Solonem, Lycurgum juſtitia, munificentiâ Titum antecellens. Alcibiades Gentis Polonæ FRANCISCUS, hoc enixè curaverat, ùt integritas & Salus Patriæ, nullum quandoq́ tolleraret detrimentum. Tributum propenſionis & obſequiorum debet FRANCISCO Sarmatia; plurimum hic Epaminondas ſudavit, ne Polonorum Reſpublica tribulos aut malorum ſpinas à circumſtantibus ex adverſo colligeret Gentibus. Suſceperat munus & Officium Legati decus Heroum FRANCISCUS; ad Regem Angliæ JACOBUM, quo peracto; iterum ad INNOCENTIUM XII. Pontificem Maximum Legatus à JOANNE III. eligitur Gemmeum os aurumq́ optimum Caput FRANCISCI; quæ coram Sanctitate & Angliarum Throno ſentimenta formaverat, hæc totus cum admiratione & lætitia audiverat Orbis. Poſt inſuperabile Lechæi Regni Scutum JOANNEM III. fatali Libitinæ ſipario obductum, poſitæ in maſtitia Reipublicæ commiſſo Mareſchalcali Scipione, & conſiliis profuit ſummopere FRANCISCUS. Mareſchalcus Capturalium Judiciorum; inſidiantes Polonæ Integritati directorio domuit lites Caduceo, & nè inconvenientibus Regnũ turbaretur incommodis, hic Magnanimus ſtrenuiſſimè reſtiterat Dynaſtes. Adornaverant & hac-*

*tenùs adornant Merita Generalis Illustrissimi, judiciaria in Castris & Areopago Virorum subsellia; quidquid doctissimo* FRANCISCUS *decreverat Arbitrio, hoc totum Diva Themis acceptavit, confirmavit. Pro nimium Atropos ausum! tollis Regnorum Statores; Martesq; in Martiali tempore provocas ad tumulum! Utinam vixissent! & diutius in terra ad majorem Statibus Reipublicæ profectum & tutamen perennâssent. Applaudentia* WIELOPOLSCIANÆ *Domui leni susurrô* KOMOROWSCIORUM *Flumina, & fortes* GONZAGARUM *Alites, adhuc provocant & alliciunt mentem pennis; ampliorem de Heroibus* WIELOPOLSCIIS *protendere apotheosim, stimulantes. Hîc maxima* KOMOROWSCIORUM *esset recolenda Probitas, at immensa* Domûs Illustrissimæ *Magnitudo venerationis ergò, Hortensiis proponitur ad laudandum. Satis ad Gloriam Comitibus in* Liptow & Orawa KOMOROWSCIIS, *quod indefessi Poloniæ Succollatores permaneant. Pactolus & Ganges tam opulentis nunquam abundavêre laticibus, prout nativa* Domus KOMOROWSCIANÆ *Flumina, aureis Patriam ditaverunt influentiis. Comites* KOMOROWSCII, *alii Regnantibus* LESCONE *Nigro,* CASIMIRO *Magno, pro Patria Porsenas, alii Mutios Scævolas, alii invictissimos repræsentaverunt Anaxarchos; singuli tamen triumphali post prælia lauro cincti, nomen Heroicum purpureo sanguinis Rubicone inscripsere Tomis. Pulcherrimi* WIELOPOLSCIANO MYSZKOVIANÆ *patescunt Soleæ gressus, quibus nunquam interitura ad Capitolium Honoris* WIELOPOLSCIANÆ *Virtus Prosapiæ procedit. Visuntur hactenus manifesta Armorum Soleæ signa, quâ* PETRUS MYSZKOWSKI, Episcopus Cracoviensis Pinczovianæ Fundator Arcis *Divorum Pantheon, summa cum gloria est ingressus; quâ Orthodoxum firmiter defendit populum, stelligerumq; festinavit ad Olympum. Evolat sub æthera* MYSZKOVIANUS *Ales,* PETRUM *Palatinum Ravensem Marchionatûs Institutorem,* SIGISMUNDUM *Mareschalcum Regni, &* ANNAM MYSZKOVIAM *ex Virtute, Meritis, prudentia, candore, toti repræsentans Universo. Non obliviscuntur sæcula* JOSEPHUM *Marchionem in* Mirow GONZAGAM MYSZKOWSKI, *Sandomiriensem Castellanum, at recentissimæ Civium imprimunt memoriæ, quàm bonus, quàm proficuus, quàm florentissimus vixerat Senator* MYSZKOVIUS.

*Adauget*

*Adauget lumen præcelsæ Domui Vestræ, Illustrissima olim THERESSIA* CAROLI TARŁO *Cancellarii Regni Filia, AVIA Vestra* Munificentissimi MECÆNATES. *Floruerat quondam Cornelia Gracchorum Mater probitate;* THERESSIA *Candore & ingenii præstantiâ, non tantùm cum Cleliis Cornelias, at etiam robustissimam Tomyrim antecelluit. Nobilissima hæc Heroina, Lechico Orbi* Illustrissimum & Excellentissimum CAROLVM Comitem in Zywiec & Pieskowa Skałá *ex* WIELOPOLSCIIS Marchionem in Mirow GONZAGAM MYSZKOWSKI, *Supremum Stabuli Regni Præfectum, Majoris Poloniæ Generalem, Capitaneum Cracoviensem, Parentem* Vestrum Dignissimum, MECÆNATES *Amplissimi, ad commodum Patriæ, Fidei Præsidium, Materno præsentavit in sinu. Quotcunq; Aborigenum ab Atavis, Proavis, Avisq; Vestris in se reliquerunt Virtutes Ceræ, quam animi, Majestatem, & Sapientiam expressêre, singulæ dotes istæ in* Dilectissimo Parente Vestro *relucent, & florescunt. Tonat commune effatum, fortibus & bonis progenerari Optimos.* Excellentissimus Parens Vestrûm *non sola dignitate Nominis, sed Virtutum claritate Illustrissimus. Heros iste Martem spirat, genuinam Bellonæ animo refert effigiem, morum gravitate, vultûs Majestate Annibale præstantior. Nullus procerto invenitur Prothogenes, ut elegantissimam* Parentis Vestri *symmetriam ad amussim delineare possit. Hoc in Hectore; Æneæ Constantia, Numæ Pietas, Trajani liberalitas, Proborum & Commodorũ Comitas elucescit. Verior Aristides Excellentissimus recolitur Marchio, à quo nec puncto Justitia recessit. Planè immortalia narrabunt sæculis* Parentem Vestrum *gesta, pronuntiabit Virtutes fama, dicet Populus Generalem Illustrissimum Decus Patriæ, & unicum Gentis Polonæ vigere delicium. Plurimum Decoris ab* Illustrissima Domui Vestræ *ex* MNISCHOVIIS ELISABETHA, *nuper Supremi Regni Mareschalci, nunc Castellani Cracoviensis; quem Phœbo similis Orbi commendabilem reddit Virtus, & ætas venerandum deprædicat Numam, Filia,* Genitrice Vestrûm *adaugetur, Cujus Virtutis* Vos MECÆNATES Faventissimi *Verissimum Prototypon estis, & effigies. Non jactet propriam Pasithea vel Euphrosine cum elegantia mentis præstantiam, non audeat Camilla Mundo Virtutes enarrare, Illustrissimæ qualitates animi ELISABETHÆ, prudentia, morum suavitas, rosas & lilia profert. Condecoret Chloris floribus ex roseto frontem; non*

C2 *tamen*

tamen istum in se spectabit decorem, quod subtile ingenium Genitrici Vestræ attribuit ornamentum. Nè adhuc taceas lingva dicentis! Illustrissimis & Excellentissimis Dominis in Zywiec & Pieskowa Skałá Comitibus, JOANNI Pincernæ Regni, Capitaneo Lanckoronensi & HIERONYMO ex Celsissima ANNA LVBOMIRSKA, Capitaneo Zarnovecensi, Militiæ Generali &c. WIELOPOLSCIIS Vestris MECÆNATES Æstimatissimi, Patruis, si non prolixas laudum thases, saltem propensionis præsta tributum. Strenuissimi Lechici Scipiadæ Regni, rotundas Oratorum Dexteritate animi excedunt periodos, protensa encomiorum Dignitati & Virtutibus Excellentissimorum Heroum non sufficiunt volumina. Ver amœnissimum Honor & Celsitudo Illustrissimorum causat Orbi Sarmatico Virorum. Quilibet Magnorum Eminentiæ Nominum impar tropus, quælibet amplificatio ad laudandam Excellentiam brevis, quælibet circumductio Rhetorica Emeritam Virtutem vix attingere potest. Hiacyntho venustior ab ore JOANNIS profluit facundia; dicentem si intueri libuerit, non sermonem aut verba, sed Favonium spirare certò autumare licebit. Firmat consiliis & gratiâ JOANNES Lechicam Libertatem, clementiâ, cordis puritate, Genti Polonæ ad delicium JOANNES. Commentum an veritatis documentum sit, Palladem ex Jovis cerebro prodiisse, indè nulla fictio patet, ex HIERONYMI animo Musas prodire, & Sapientiam. Defensor Patriæ HIERONYMVS irruentibus obicem ponit fatis, & dulcis Patriæ Statum à feralibus protegit insultibus, immo vitam saluti Patriæ impendere paratus, Heros Iste non prælia sed triumphos Poloniæ, Virtute Heroica adaptat. HIERONYMVS quot militares regit cohortes, tot sibi, imò plura ad gloriæ immortalis Colossum erigit trophæa. Inenarrabilibus Domus Vestra decoribus illustrata, Vobis nunc MECÆNATES Singularissimi Honoriq; Vestro Votivam reddere jubet propensionis heccatomben. Revirescenti in Juventute Vestra; summas gloriosissimi Parentis cum dotibus animi reconditis qualitates. Flores teneritudinis Vestræ; Cælo, & terrestribus ad placitum sunt Dijs. Floretis Heroës Patriæ Dignissimi, Nobilitate Ingenij supra ætatem; teneritudo Vestra decumanorum exprimit probitatem Nestorum, elegantiùs quàm Rosæ, Narcissus aut Violæ morum svavitate, innocentiâ, mentis subtilitate, viretis Polono Orbi ad stuporem. Certum ad quævis Optima Nomine Seraphico FRANCISCVS pandit

omen:

*Lilifer* IOSEPHVS *Ver fortunatissimum* Illustrissimæ *præsagit* Domui: IGNATIVS *splendorem prosperis cum successibus appromitit Parentelæ. Umbra est Dexteritas bellicosi Achillis Virtuti* Vestræ *comparata, noscitur ex juba Leo, Aquila ex irretorta Solem intuenti proclamatur pupilla, Virtutem* Vestram *ex* Illustrissimis *Aborigenum Ceris ad Maxima promptissimam tota veneratur Polonia. Fixam inter Firmamenti Phænomena Pegasus Stationem habet,* Gentilitius Domûs Vestræ SONIPES *à Cælico ducens Originem Pegaso, ad Capitolium Honoris Magnificentiam & probitatem Vestram portare & elevare paratus. Pascuntur præpetes floribus montium* SONIPEDES, *Avitus* Domûs Vestræ PEGASVS *oblatas sibi rosas & lilia Hymetti non dedignabitur acceptare. Vivito ergo Liliate,* Domûs peraugustæ *Ternio Fratrum, in fulcimentum Poloniæ, & dulce* Illustrissimorum Solamen PARENTVM, *Pylios in vita numerato annos, prosperent Superi successus* Illustrissimæ Domûs Vestræ, Avita *GONZAGARUM* Soleâ, *viam Vobis ad altissimos præsignet Honores. Flumina pretiosiores Araxe & Hermo attrahant influentias. Lætamini Celsitudine* Domûs Vestræ *satis abundè, sed etiam à Sacratiori inter Seraphicos ignes lumine Virtutum radiante, Cælestis Agni Sponsa, accedit splendor Honori* Vestro. *Gloriantur odoriferis Hesperidum vireta herbis, Apostolica Crux ANDREÆ liligero* FRANCISCÆ *Candore, & gratiossimo Pietatis odore in perpetuum luminosos exhilarat Polos. Accrescit Vobis à Lechicis;* CONSTANTIA, LVDOVICA, MARIANNA, VRSVLA, & FRANCISCA, *Euphrosinis, veriùs loquar Pulcheriis* Sororibus Vestris *satis gloriæ. Admiratur Pieridum Cætus Virgineam florentium Coronarum* Domûs Vestræ *modestiam, contremiscit laureatus Apollo, excellentissimis Virginum Nominibus Cytharâ resonare exambiens elogium. Floreat Istarum Decor in Orbe Coronarum; quàm diù curret per æthera Phæbus. Multiplicant Majestatem* Vestræ Domûs *KORECCII, OSTROGSCII, SANGUSCII, RADIVILII, LUBOMIRSCII, CHODKIEVICII, SIENIAVII, CZARTORYSCII, POTOCCII, OPALENII, SAPIECHÆ, OGINSCII, JORDANES, JABLONOVSCII, CHOMETOVII, MALACHOVSCII, DZIALYNSCII, ZEBRZYDOVII, TARLONES, SZEMBECII, WODZICCII, & millena alia Orbis Sarmatici Nomina,* Honori Vestro *perenni æstimatione & affectu applaudunt. Parcite* MECÆNATES

 CÆNATES

CÆNATES Dignissimi *tenuitati Indolis meæ parcite! si ex condigno Celsitudinem* Domûs Vestræ *magis adorare quàm encomiis celebrare ignoraverit. Hymettum perpetuis fragrantem floribus* quem Honori Vestro *& Favori offerro. liliatis acceptate Manibûs gratiosisq; intueamini ocellis. Explicabit Vobis Mons iste varii cum lætitia coloris ad mentem recreandam herbas; quarum & Aquila* GONZAGARUM *cum Alite, & Avitus* SONIPES *favorabili respectu protegent elegantiam. Perennate* Gloriosissimi *in Orbe Lechico Dynastæ Aquilæ* Virtutem Vestram *in summam Honoris bajulent augem, Crux soleata manifestas ad Alta demonstret semitas, ego summis* NOMINIBUS *& Honori, florentes ex Hymetto* VOBIS *in applausum non cessabo litare Corymbos uti.*

PERILLUSTRIUM MAGNIFICARUM DOMINATIONUM VESTRARUM

**Propensissimus & humillimus Servus**
Author Operis.

# LILIO
## Orbis Sarmatici
## CANDIDISSIMO,
&
## FRAGRANTISSIMO,
Palladis Jagellonicæ
## CORONAMENTO,
# D. JOANNI CANTIO,
S. Theologiæ DOCTORI & PROFESSORI,
Regni Poloniæ & M. D. L.
PRINCIPALI PATRONO.
Univerſitatis Cracovienſis
# PATRIARCHÆ.
## Ode Votiva.

Dive Doctorum Pater Alme CANTI,
Gemma Lechæas radians per oras;
Et Poli Sidus peramæna Mundo,
Lumina pandens.
Reddimus puro Tibi vota corde;
Plaudimus læti, reſonamus ore
Debitas grates, publicamus unà;
Mille triumphos.

Victimam summæ Triadi litamus,
Mente devota; quia Te Patrono,
En labor nostrûm; satis est secundo
Fine potitus.
Protulit nobis resonans JOANNES
Gratiam; doctè satiavit; immò
Mentibus certamine comprobatis,
Nectar adauxit.
Etsi sudorem studiosa sensit
Frons, genas terror licet occupârit,
Nunc tamen solamine gloriamur,
Sub Duce Sacro.
CANTIUS svavem Zephyrum sub aura
Veris incæpti redeunte terris;
Tempori nostro cumulavit, atq;
Munera sparsit.
Obrigescunt Herculei labores
Robur Atlantis jacet in ruina,
Si favor Divûm procul absit ingens
Cælicolarum.
Langvet in meta generosus Hector,
Vix virens frontem Diadema cingit
Marcidus pallet sinè rore Cæli
Flos in Hymetto.
Gratiùs fragrant violæ per hortos,
Pulchriùs vernat Rosa purpurascens,
Lilium candore nivis repletum
Comptiùs ornat.
Quum

Quum Dii comptæ Charites ab Altis
Largiuntur dona manu beatâ;
Aut Triones quando bono nitentes
Carmine placant.
Non Almathææ ſpecioſa rerum
Ditat Orbem congeries bonarum,
Aſt Poli clementia ſpontè flexi
Voce benigna.
Non coloratis recreatur herbis,
In libris hærens Ratio Virorum
Deſuper mittit geniis juvamen
Gratia Divûm.
Chloridis puræ redolent vireta,
Sensibus tantùm decus offerendo,
Cælitus prudens animus favorem
Obtinet amplè.
Ad Triones ingenioſa Pallas;
Regulans mentem celerat docendo,
Indoli cuivis Superi Potentes
Auxiliantur.
In Lycæorum Cathedris perennat,
Numinis celsi veneranda ſemper
Dextra, quæ Pulchro Capitis corymbo
Tempus adornat
Alme Muſæi Patriarcha Cracii;
Te coronavit ſinè fine Regnans;
Laurea ſacrâ, Tibi dona junxit
Numen Olympi.

 Doctor

Doctor existis Sapiens & Almus,
Protegis Musas, gremio Clientum
Advenis, charismata das abundè
Ut cataractæ.
Frontibus fessis tribuis Coronam,
De Tuis sertum manibus resultat,
Tuq; Cæli Delicium JOANNES,
Præmia confers.
Jam Caput nostrum Patris adjuvante
Gratiá, magna recreatur; ob quam
Post labores pulchra nimis coronat
Tempora laurus.
Corda cum Votis Tibi dedicamus
Verba pronis pectoribus sonora
Promimus, plausum Tibi propalamus
Optimè Doctor:
Lechici firmum Columen Trionis
Nosceris CANTII nitidusq; Titan
Mentibus Nostris faveas precamur
Omne per ævum

*Illustribus Clarissimis & Admodùm Reverendis Dominis.*

# DD. EXAMINATORIBUS.

*Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino.*

## D. M. CASIMIRO STĘPLOWSKI,

Philosophiæ DOCTORI, Ejusdemq; Regio ac Cursûs Vladislaviani POFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI Clepardiæ PRIMICERIO S. ANNÆ ARCHIDIACONO, ac interea Facultatis Philosophicæ DECANO.

*Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino*

## D. M. ATONIO KRZĄNOWSKI,

Philosophiæ DOCTORI, Ejusdemq; & Tylicianæ Eloquentiæ PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiarum Collegiatæ Sanctæ ANNÆ SCHOLASTICO, in Grabie CVRATO & GEOMETRÆ Iurato.

*Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino*

## D. M. ANTONIO ZOŁĘDZIOWSKI,

Philosophiæ DOCTORI & PROFESSORI, Collegæ Minori.

*In vim perennis gratitudinis.*

Ode Dicolos Tetrastrophos.

VOs Vos Camænæ tangite barbiton,
Vates Apollo plausibili Choro
Extolle concentus, melosve,
Sarmaticas resona per Oras.
Adest Virorum Ternio Candidus,
Virtute fulgens & merito potens,
De laudibus justis meretur,
Hic; Cytharâ referendus Orbi.

E2 Hunc

Hunc fama multis vocibûs intonat,
Echo resultans verberat æthera,
Vox audientes replet Aures,
Quòd Probitate Viri refulgent.
Procul recedat Parthenope freti,
Cum fraude fatum gutture provocans,
Doctoribus candore plenis
Elogium canit alma Clio.
Hæc CASIMIRVM Purpureum Ducem,
Sophos celebres mentis acumine,
Sententiis; subtilitate;
Prædicat atq; canit Regentem.
Virtutis Hic Vir Nobilior Comes;
Prudens, modestus, candidus & pius
Ducit carentem labe vitam,
Floribus est similis Vir Iste.
Sermone Sacris floret in Exedris,
Perplexitatum difficiles modos
Solertiâ mentis resolvit,
Dogmata clarificat peramplè.
Hunc Posna laudat quàm fuit optimus
Præfectus, Ædes Pinczoviensium
Narrant Scholarum, monstrat Alba,
Littaviæ regimen Cohortis.
Nunc Te KRZANOWSKI dictio consona
Divulgat Orbi Pierides Chely;
Præcelsa cum virtute facta
Continuas resonant per artes.
Sylvas virentes compulit Orpheus,
Gestire chordis dans modulamina,
Concinna verborum loquela
Lætificat populos dietim.

Os Tulli-

Os Tullianum dicta gerunt Tua,
Et dùm Cathedram Tyliciam regis
ANTONIVM mirantur omnes;
Eloquio Cynæam præire.
Incomputando circuitu Poli
Cales Mathesim, cum Diagrammatis
Encyclopædiæ peritum
Te documenta probant Magiſtrum.
Gratos adaptat Caſtalidum Cohors
Cum laude cantus percelebri Sopho;
ANTONIO Matris Decori
Eximio, probitate claro.
Hic eſt PROFESSOR; pulchra laboribus
Exempla monſtrans, hic Sapientia
Demoſtheni par Erudito,
Ingenió ſuperat Platonem.
Lubrana Pinus ſex dieterides,
Inter labores comprobat aureos,
Quæcunq; dixit, aut quæ ſcripſit,
Digna manent revirente Cedro.
Cleante prompto cor vigilantius,
Zenone docto mens generoſior
Apparuit; rectè Tyrones
Senſibûs ingenuos docendo.
Hanc gratitudo Cordis; adoream,
Tibi Virorum Ternio Candide
Offert, precatur, vota fundit
Vivito nube mali carendo.
Honoris augem ſumito maximam,
Dies & Annos vivito proſperos,
Cæli Favores Vos ſequantur,
Ac Superi decorent labores.

# HYMETTUS

Dexterâ Palladis Jagellonicæ
Flores varii Generis
In Coronamentum Eruditæ Virtutis
V. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatis

# EXPLICANS.

II. V. D. MARTINO ZABIEGALSKI,
*Hiacynthum, Thymum, Hyſſopum*
Cum Lemmate:
Spargunt Virtutis odorem.

FVlges eximiis dotibûs ingenii,
Das virtute fragrantiam.
Flos MARTINE vires, Flos Hyacinthus es:
Mens in Te generoſior.
Pallas docta Tibi pandit adoream,
Cætus plaudit Apollinis.
Herbis Alcinoi pulchrior indies
In Te viſitur Indoles:
MARTINI Genius promptus ad omnia
Doctæ munia Palladis.
Virtutum ſpecimen moribus optimum,
ZABIEGALSCIVS exprimit.
Dulcem lingva loquens ambroſiam ſerit;
Gratus ſermo roſis fluit.
Alter verba Maro ſenſibus intonat
Mens par arte fit Herculi.
Planè Purpurei quælibet actio.
Floris ſymbola continet.

III. V. D.

## III. V. D. PAULO DZIDOWSKI,

*Amarantum, Euphrosinum & Apium*

Cum Lemmate:

*Inde Corona viret.*

PAule DZIDOWSKI Tibi Culta Pallas
Floribus sertum redolens amænis
Dexterâ forti tribuit labori
Præmia confert.
Te cataphractæ Legio Cohortis,
Marte cum dextro clypeatus Ajax
Prædicat terris animumq; Musæ
Carmine laudant.
Dexter appares, animosus atquê
Difficultates ratione solvis,
Perspicax certè Xenophontis in Te
Mens patet Orbi.
Fragrat in pulchris Amaranthus hortis,
Hic recisus suavior est odore,
PAVLVS â multa probitate morum
Spargit odorem.
Ægis heroi reparat triumphum,
Protegit Loryca Ducum Lacertos
At Tibi Nomen Geniusq; reddit,
PAVLE Coronam.

## IV. V. D. CASIMIRO CZERWINSKI,

*Rosam Abrotunum & Zophyron.*

Cum Lemmate:

*Dextram Frontemq; coronant.*

NVnc CASIMIRE Tuam laudibus Indolem,
Et mores placidos plausibus efferunt
Cœtus Castalidum, Te genio bonum
Vox extollit Apollinis.

CZERWINSKI roſeis floribûs eloquiî.
Ver pulchrè renitens atq; Favonios
Profert, verba modò Mercurii rotat,
Dictis fundit Etheſias.
Senſu Porphyrio conſimilis manet,
Geſtis Nobilibus dexter Iſocrates,
Muſis atq; Sophûm purpureo Duci
Acceptabilis eminet.
Fronti ſponte favet laurus Apollinis,
Menti Stoa gradum monſtrat ad optima,
Pallas ſerta tenens aurea comparat,
Magnis dona laboribus.

## V. V. D. JOANNI WOSKOWICZ,

*Libanotidem; Violas; & Narciſſum.*

Cum Lemmate:

*Inde Decor reviret, ſcit,*

ORbe Majori veniens Polono,
O Palladem Cracii recolis Lycæi,
En Tibi flores tribuit Minerva
Docte IOANNES.
Indolem GODZIĘMBA tuam nutrivit,
Melleo ſucco ſtudii decentis,
Arboris fructum teneris ab annis
Mens ibi ſuxit.
Ad Crucem nunc Sceptrigeram quieſcis,
Regiam Divi Iagelonis Aulam,
Incolis pronè redimire tendis
Tempora ſertis.
Te recomendat genii Sagacis
Promptitudo, Teq; Pöeſis ornat,
Tu præis forti ſtudioſiorem
Mente Cleantem.

Atra

Vita WOSKOWICZ probitate fulget,
Parvulis reddunt apibus roſeta
Dulce mel florens Tibi ver Hymettus
Præſtat amænum.

# I.V. STANISLAO KOSTKA DOBRAKOWSKI
## Ejuſdem Laureæ Candidato,
# Authori Operis.

V.D. MARTINUS ZABIEGALSKI,
Ejuſdem Laureæ Candidatus.
In vim reciproci affectûs
Offert Lilium
Cum Lemmate.
*Candor diffundit odorem.*

ATtica florigero ſemper lætatur Hymetto
Pæſtum juncundas gignit odore Roſas,
Alcinous Calathos herbis exornat amænis
Hortos; ver aperit ſertaq; Flora ligat.
Attamèn in tanto pretioſa vireta decore
Non ſunt, ut mores STANESILAE Tui,
Non melius recreat ſenſum fragrantia ſtactes,
Gratiùs & Violæ vix redolere ſolent.
Pulchriùs his virtute Tua revires DOBRAKOWSKI,
Pura Tui vernis floribus ora nitent.
Ingenium moresq; Tui probitate redundant
Candorem referunt, Lilia pura Tuum.
Dexteritas animi vitæq; modeſtia totum
Multis Te dignum laudibus eſſe probant.

G Diceris

Diceris eloquio Felix Hortensius Alter,
A Te quòd discat blanda Pòësis habet,
Summus Aristoteles miratur mentis acumen
Æthera sub celsum Te Tua gesta ferunt,
Flore juventutis monstras exempla maturæ
Virtutis, faustum nomen ad omen habes
Carminibus nostro sparsisti dona labori,
Hæc Tibi, pro tanto munere vota damus:
Vive hiu sospes flore sine nube malorum,
Faustis atq; bonis dent meliora Dii.

SUB FELICISSIMO & OPTIMO
REGIMINE
*Magnifici Perillustris, & Admodùm Reverendi Domini,*
# D.M. CASIMIRI PAŁASZOWSKI,
Sacræ Theologiæ PROFESSORIS, Collegæ Majoris, Ecclesiarum Collegiatarum; S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam CANONICI, Cureloviensis DECANI, Parochialium; S. STEPHANI Cracoviæ PRÆPOSITI, in Czerniechow CVRATI, Studij Generalis Universitatis Crac: Vigilantissimi
RECTORIS,